

HERMANNI BOERHAAVE
APHORISMI

DE
COGNOSCENDIS ET CURANDIS MORBIS,
PROLEGOMENA,

Omnis humani corporis conditio,
quae actiones vitales, natura-
les, vel & animales, laedit,
Morbus vocatur.

2. Quae vero disciplinae Medicae pars
docet Morbum in ipso aegrotò praesen-
tem detegere, & curare, Praxis appella-
tur Medica. Sanitatem aegris Medicina
promittit. Cels. 1.

3. Qui ergo actionum vitalium, natu-
ralium, atque animalium exercendarum
requisita ignorat, adeoque Vitae causas
nescit, & sanitatis, ille defectum illarum,
id est morbos, cognoscere non poterit.

4. Sanatio porro est morbi ((1.) in sani-
tatem (2.) mutatio: ponit ergo & haec
eadem cognita: (3.) quare cognitio & cu-
ratio morborum Scientiam Dogmatum,
quae explicant, quae Vita, Sanitasque sit
hominis, id est Instituta Physiologica Me-
dica, requirunt,

A

f:

5. Illa mutatio (4.) motum excitat, sopit, vel dirigit, per applicationem instrumentorum, quae Artifex nosse debet, & regere; hinc ponitur perspecta victus, medicamentorum, & Chirurgiae, materia, praeparatio, usus.

6. Dirigitur illa applicatio (5.) a mente praescia futuri effectus: quo exigitur Scientia generalis legum, juxta quas actiones illae exercentur; unde itaque doctrina Signorum, & Methodi Medendi, necessaria est. Adeoque tradituro Praxin (2) omnes partes Institutionum Medicarum scitu necessariae prius sunt: Eas ideo ponemus notas, & demonstratas alibi.

7. Morbus, (1.) quum corpori inhaereat, erit effectus corporeus singularis determinatae causae.

8. Cujus accurata ablatio sanat.

9. Aufertur correctio malo singulari, vel per remedium in illud solummodo agens, vel auxilio in omnia simul aequa vi agente. Hanc universalem, illam propriam, Medelam vocabimus.

10. Utraque (9.) reperitur observatione, similitudine, vel ratiocinio ex hisce binis.

11. Observatio habetur: 1. ex accurata historia morbi, enarrante causas, naturam, effectusque mali. 2. ex enumeratione

ratione exquisita eorum, quae profunt, vel nocent, dum casu, vel arte, morbo subministrata sunt. 3. ex introspectis cadaveribus incisis eorum, quorum morbi observati fuerant prius.

12. Ex similitudine concludit, qui observatis jam, (II.) adeoque cognitis, casum praesentem, hactenus ignotum comparans de indole & curatione mali incogniti argumentatur, a praeteritis ad futura arguens.

13. Qui denique omnia, quae aegro accidunt, observando cognita, (II) ad amissim ponderat seorsum singula, comparat deinde inter se universa, confert iis, quae in sanitate contingunt, hincque tandem severitate ratiocinii subacti assurgit in intellectum causae proximae, & auxiliorum ei tollendae aptorum, verum Medici nomen meretur.

14. Ordo itaque optimus describendae historiae & curationi morborum erit, qui

1. Uniuscujusque mali phaenomena individua, propria, communia, considerate cognita, justo ordine, vera fide, proponit.

2. Cuncta, quae acciderunt aegro ab iis, quae gessit, ingessit, retinuit, excrevit, vel sibi applicuit, dum morbus adsuit, enarrat.

A 2

3, Au-

3. Auxilia victus, manus, medicamentorum, una cum vera methodo applicandi, prout casus, vel ars, obtulit, exponit.
4. Ea, quae ex hisce tribus, ut ex datis, juxta (13.) dictam legem effectum rationis verissime deduci queunt ita, ut pro regulis Praxios accipi tuto possint, concludendo elicit.

15. Multitudo quidem morborum his ordinandis officit.

16. Sed ordinem dicat: 1. clarior morbi notitia. 2. simplicior ejus natura. 3. facillima sanatio. 4. ejus requisita ad alium intelligendum cognitio.

17. Ex quo fundamento (16.) omnes sequenti serie tractabimus.

18. Morborum itaque simplicissimorum species, & curatio praemittenda reliquis.

19. Solidarum ergo partium morbi explicandi & sanandi primum locum postulant.

20. Fibrae simplicissimae solidae morbi explicati, sanati, inter hos (19.) denique primi sunt.

MORBI FIBRAE SOLIDAE SIMPLICIS.

21. Illae partes, quae ex fluido vasis contento secretae, sibi mutuo vi vitae,